



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 12. Gloriam humanam ijs dari sæpe. quibus alia merces, in altera vita,
non manet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Apostolorum reliquia, ostendit memoria eorum, qui rectè & ex virtute vixerunt. Quot Reges urbes euerterunt, portas extruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt, nec tamen eis quicquam profuit, sed silentio & obliuioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est profecutus, & ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam post mortem resplendet Sole clariùs. Quod tu autem facis, est ridiculum, & plenum ignominia. Hæc enim monumenta, non solum non te clarum reddent, sed etiam facient ridiculum, & ora omnium aperient. Edificia enim non sinunt tuam auaritiam, quæ obliuioni tradi poterat, temporis excursu extingui, & stant veluti columnæ & trophæa erecta aduersus auaritiam. Sunt enim ex aliena pecunia, è pupillorum censu, è decimis Ecclesiæ subductis, è defraudati amici ærario, è furtis, è rapinis extructa. Hæc omnia in memoriam reuocabunt, qui posthac palatium à te extructum intuebuntur.

S. XII.

Gloriam humanam ijs dari soepe, quibus alia merces, in altera vita, non manet.

Quod de ædificijs dixit Chrysostomus, dici potest & de picturis, de cimelijs, de anaglyphis,

glyphis, immò de omnibus rebus pulchris laudemque humanam merentibus, vti & de præclare gestis, si propter plausum vanumque honorem facta sunt. Quemadmodum enim nulla laus est, esse vanum, ita, apud Christianè prudentes, quicumque illa vel fecerunt, vel gesserunt ad inanes glorias captandas, censentur non præconium, sed vituperium meruisse. Sed ante Christi doctrinam, velut lumen, mundo illatam, cum Ethnici meliorem virtutis vel laboris laude humana mercedem ignorarent, ad honores tantopere aspirauerunt. *Quibus ergo non erat*

S. August. *Deus daturus vitam aeternam, ait S. Augustinus, cum sanctis Angelis suis, in ciuitate sua caelesti, ad cuius societatem pietas vera perducit, qua non exhibet seruitutem religionis, quam Latrariam Græci vocant, nisi vni vero Deo, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi Imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Sic & isti priuatas res suas pro re communi, hoc est, republica, & pro eius arario contempserunt.*

runt, auaritia restiterunt, consuluerunt patriam consilio libero: neque delicto secundùm suas leges, neque libidini obnoxij: his omnibus artibus tamquam vera via nisi sunt ad honores, imperium, gloriam: honorati sunt in omnibus ferè gentibus: imperij sui leges imposuerunt multis gentibus: hodieq; litteris & historia gloriosi sunt panè in omnibus gentibus. Non est quod de summi & veri Dei iustitia conquerantur: perceperant mercedem suam. Merces autem sanctorum longè alia est etiam hinc opprobria sustinentis pro ciuitate Dei, qua mundi huius dilectoribus odiosa est. Illa ciuitas sempiterna. Ubi nullus oritur, quia nullus moritur. Ubi est vera & plena felicitas, non dea, sed donum Dei. Inde fidei pignus accipimus quamdiu peregrinantes eius pulchritudini suspiramus. Ibi non oritur sol super bonos & malos, sed sol iustitiæ solos protegit bonos. Ibi non erit magna industria ditare aerarium publicum priuatis rebus angustis, ubi thesaurus communis est veritatis. Proinde non solum ut talis merces talibus hominibus redderetur, Romanum Imperium ad humanam gloriam dilatatum est, verum etiam ut ciues aeterna illius ciuitatis, quam diu hic peregrinantur, diligenter & sobriè illa intueantur exempla, & videant, quanta dilectio debeat superne patrie

R

propter,

Ibid. capi-
16.

propter vitam aeternam, si tantum à suis civibus
terrena dilecta est propter hominum gloriam.
Atque hoc præcipuum est argumentum, ob
quod omnes honorari merito metuere de-
bent, ne hîc recipiant mercedem suam; cùm
& Gentibus Deus honores terrenos contu-
lerit in mercedem, quibus non erat daturus vi-
tam aeternam. Enimverò, quotiescumq; ali-
quid feliciter succedit, providæ mentis ho-
mo formidat, ne per huius vitæ felicitatem,
æternam amittat felicitatem, dicaturque il-
li aliquando, *recepisti mercedem tuam*. Vi-
deant igitur, qui propter opera sua laudari
cupiunt, quam mercedem cupiant, quam
omittant.

CAPVT XIII.

*Superbos, Calumniatores, Detractores,
& omnes iniustos atq; impios, meritò in-
famari, & aliquando etiam utiliter
rideri.*

§. I.

*Malè aliquos dolere, si quid in honore pa-
tiantur.*



Audari non cupio, inquires, neque
correctionem fugio, si peccavi.
Sunt